



Quaestiones juris

<https://hdl.handle.net/1874/321386>

QUAESTIONES JURIS.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN TWO VOLUMES

THE SECOND

QUAESTIONES JURIS,

QUAS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HERM. JOH. ROYAARDS,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS CAROLUS VAN DER BREGGEN,

AMSTELODAMENSIS.

A. D. XXVI mensis Octobris, anni MDCCCXLIX, hora II.



TRAJECTI AD RHENUM,

Apud **L. E. BOSCH ET FILIUM,** Typogr.

MDCCCXLIX.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF CHARLES THE FIRST

BY JOHN BURNET

IN TWO VOLUMES

LONDON

Printed by J. Sturges, in Strand

1724

Price 1s. 6d.

By the Author

Printed by J. Sturges, in Strand

1724

*Mater non indiget auctoritate mariti, ut filio
prioris tori uxorem ducenti possit consentire.*

Argumenta, quibus nititur haec sententia sunt
maxime haec:

a. Maritus secundus est cotutor sed minime par-
ticeps patriae potestatis; consensum ad matrimonium
autem pater vel mater dat ex potestate patria, mi-
nime tanquam tutor, quod aperte ex eo sequitur,
quod avi vel aviae consensus exigitur et non tu-
toris.

b. In art. 163 dicitur: uxor sine consensu mariti
nihil dare potest. Exinde non licet efficere: ergo
nec *consensum*, nam ille articulus unice spectat res,
quae in patrimonio sunt, minime autem quae spec-
tant pietatem.

c. Ex articulo 173 non licet, semper periculoso, argumento a contrario sic argumentari: testamentum potest uxor sine consensu mariti facere, igitur nihil aliud sine consensu, nam cum dubitari possit, num testamentum, in quo de bonis statuitur, non sit instrumentum quod indiget mariti consensu, legislator hanc dubitationem dirimere voluit, sed minime eo articulo et 169 unicum casum ponere in quo mariti consensus non sit necessarius.

d. Ex eadem ratione autem quam veteres posuerunt in lege 32 pr. *D. de heredibus instituendis* (28.5) testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere, efficitur. Nam sic etiam in matrimonio defendi potest, consensum ad matrimonium ex pietate proficisci, nec ab alieno arbitrio pendere.

e. Patria potestas est jus cui renunciare non licet (art. 195): igitur nec per matrimonium ad alium transferri potest, quod tamen fieret, si secundus maritus in matrimonium consensum dare deberet.

f. Uxor marito debet obedientiam, sed ipsa iudicare debet, num marito negante possit filiae nubenti consentire, nam si mariti consensus non requiritur, de inobedientia sermo esse nequit.

Qualis est uxoris conditio, quae in res domesticas obligationem contrahit.

In art. 164 C. C. dicitur: uxorem res domesticas agere ex praesumpto mariti consensu. Si haec verba stricto adeoque de auctoritate a marito uxori praestanda accipiuntur, tentari possunt haec fere:

1°. An ex hoc negotio obligetur uxor, licet maritus non in quodlibet singulare negotium consensum nominatim dedisset. Maritus autem ob haec negotia obligatus non esset. Hoc enim satis sequeretur ex comparatione instituta cum art. 168.

C. C. ubi maritus propter debita mercatoria uxoris, ex ejus consensu contracta, tunc demum obligari dicitur, si inter conjuges contracta est bonorum communio; sin vero ejusmodi bonorum communio non adest, etiam maritus non obligatur, licet auctoritatem praestiterit. Quodsi igitur uxor obligatur tantum, si non adest communio bonorum, creditor etiam contra uxorem tantum agere potest; sin vero adest communio, maritus in suis bonis, quae non sunt in communione (art. 175 in f.), conveniri potest.

2°. Art. 162 spectat jura mariti et uxoris invicem, non autem extraneos. Itaque dici possit is, qui cum uxore contraxit propter res domesticas, minime maritum sibi obligatum habere, qui tamen uxori tenetur ad impensas restituendas, ex negotiorum gestione.

3°. Per art. 1354 C. C. quilibet praesumitur suo nomine contraxisse, ita etiam art. 1351, ex re ipsa autem minime patet, si uxor contrahit, eam velle maritum obligari.

4°. Per art. 1390, qui sciente altero sed non mandante ejus negotia gessit, potest negotiorum gestorum agere; ex art. 1393 dominus negotiorum tunc demum tenetur erga extraneos, si ipsius nomine contractum est; hic autem uxor non mariti sed suo nomine contraxit nisi contrarium aperte pateat.

Ob quas rationes mihi videtur legislatoris sententia potius de mandato mariti in uxorem vel tacite collato esse accipienda, quam de auctoritate a marito uxori suo nomine agenti accommodata. Legislator autem hanc non incertam, ut mihi quidem videtur, sententiam clarius longe meliusque expressisset si usus esset certo indubitatoque vocabulo *lastgeving*, quam longe incertiore minusque accurato *bewilliging*; nam si uxor ex mandato mariti contrahit, ipse obligatur, quod potius consentaneum est reliquo juris systemati; nam onera matrimonii spectant maritum, et maritus lege tenetur omnia necessaria uxori praebere (162. al. 2). —

Nec verisimile est legislatorem tales ambages

voluisse, ut primo creditor debeat uxorem convenire, et haec maritum (si non adest communio), sed verba legis ad contrariam, uti indicavimus, sententiam fere ducere videntur.

—•••••—

Ad art. 1985 Cod. Civ.

In art. 1985 dicitur: renunciare licet praescriptioni jam impletae. Etsi hic articulus positus est in sectione, quae de praescriptione generalia explicat, tamen mihi videtur unice spectare praescriptionem extinctivam, et minime usucapionem (praescriptionem acquisitivam). Usucapione dominium acquiritur; pactum autem quo quis usucapioni impletae renuntiat, nihil aliud in se continet quam donationem; nudis pactis autem dominium apud nos non transfertur, nec donatio, nisi rei mobilis, fieri potest sine instrumento

authentico. Art. 2221 in Cod. Napol. bene se habet, quia lege Francica per pactum dominium transfertur; apud nos autem minus prudenter receptus esse videtur. Quod autem art. 1985 C. C. non spectat usucapionem, etiam patet ex art. 1984. C. C., in quo dicitur: praescriptioni ab initio renunciari nequit; si id de usucapione intelligitur, nullo modo defendi posset articulus, nam qui rem emit vel ex quocumque titulo accepit, si bona fide est, existimat se dominium acquisivisse; itaque renuntiationi possessionis in tali casu locus esse nequit. Si, dum usucapit possessor, jura domini agnoscit, ex art. 2019 C. C. usurpata est possessio, nam eo casu desinit animo domini possidere et procurator factus est domini, pro quo tunc rem detinet. Hoc autem trahi nequit ad impletam usucapionem, qua dominium jam acquisivit. Cum igitur art. 1984 de non impleta praescriptione tractans, non spectet usucapionem, etiam quod de impleta dicitur, nequit illam spectare. Nec obstant verba *zijn verkregen regt*,

nam est jus quaesitum, exceptionem opponere posse, cui juri bene pacto renuntiare potest.

Historica ratio plenissimam adfert probationem; praescriptio proprie nihil aliud est quam exceptio, contra quam exceptionem ex pacto renuntiationis replicatio datur; obligatio naturalis superesse existimatur licet opposita sit exceptio; bene igitur cernitur quare ex renuntiatione pristina obligatio omnem vim recipiat. — In usucapione autem inde a lege XII. tabularum dominium erat acquisitum, quod sane rescindi poterat, sed actio Publiciana rescissoria tantum in nonnullis causis dabatur, brevi tempore anni erat finita, et jure Justiniano, apud nos recepto, intra quadriennium tantum institui poterat, et id apud nos unice in causa necessariae et justae absentiae fieri, docet Grotius *Inleiding tot H. R.* II. § 7, in f., propter ignorantiam autem non admitti defendit Voetius ad tit. D. *ex quibus causis majores* n°. 13.

Ad. art. 212. C. C.

Verba in art. 212 C. C. door *uitgaven boven de inkomsten veroorzaakt* minime intelligenda sunt de impensis, quae tantum unum conjugem spectant; nec possumus probare quod Diephuis (1) v. cons. dicit: (I. 1001) si unus conjugum refectiones fecerit aedium, quae in communione non sunt, has impensas, modo statim solverit, pertinere ad *uitgaven boven de inkomsten*, et ita haberi damnum communionis lucri et damni; quam legis dispositionem notat his verbis: *het onbillijk gevolg toch der tegenwoordige bepaling zou zijn, terwijl de een alles, wat hij tot verbetering zijner bezittingen aanwendt, aanstonds betaalt, dit gemeenschappelijk gedragen wordt en dat daarentegen, zoo de andere niet voor dadelijke betaling zorgt, hij die onkosten vroeger of later alleen moet dragen.*

(1) Nederl. Burgerlijk Regt.

Propter hanc autem iniquitatem statuimus, his verbis minime spectari omnes impensas, sed unice impensas quae *utrumque* conjugem spectant. Nihil prohibet quominus art. ita intelligamus, igitur ita intelligi debet, ut potius sit rationi consentaneus, quam contra sanam rationem. Insuper id sequitur ex art. 218: debita quae *utrumque* conjugem non spectant in communionem non veniunt; igitur nec solutio horum debitorum ex pecunia communionis fieri potest; nunc autem nullae impensae fieri possunt sine praecedente obligatione, licet quis solvat antequam praestatio locum habuerit, vel statim e. g. dum emit; nam quod obligatio per solutionem citius sit sublata, non efficit obligationem non adfuisse; igitur aderat debitum *unum* conjugem spectans. Nec art. 218 al. 2. *wat een*, praebet argumentum a contrario; sed licet delictum in utriusque commodum sit commissum, tamen poena unice eum premit, a quo exigitur e. g. in defraudatione vectigalium.



Thesaurus ab uno conjugum inventus, an incidit in communionem lucri et damni?

Vir cons. Diephuis (1) statuit thesauri inventi partem, quae conjugi inventori tribuitur, pertinere ad communionem lucri et damni, rationem adferens *daar toch het geluk in het algemeen zijne gaven niet zonder eenige aanleiding mededeelt, maar dit alleen doet naar aanleiding van iemands goederen, arbeid en vlijt*. Contrarium mihi videtur; nam quod pars thesauri tribuitur inventori, non est praemium operarum, sed ut ita obvietur fraudi; alias inventor facilius totum subtraheret; *operarum* occasione partem acquirit, sed non *propter operas*, nam thesaurum in alieno quaerere non licet, igitur de opera in inveniendo thesauro sermo esse nequit, nec propterea tunc terram fodiebat, sed alii rei operam insumebat, et *fortuna aliud dedit* dicit Tryphoninus in l. 63 § 3 D. *de acquir. rer. dom.*; „quod vero subito in abdito loco positum *nihil agens sed aliter*

(1) Nederl. Burg. regt I. n^o. 981.

ambulans invenit, proprietatis domini sit." Voetius (de pact. dotal. 32.) „Veniunt ergo in hanc communionem . . . quaecumque cum nullius essent, a conjuge alterutro occupantur, veluti ferae captae, gemmae, lapilli in litore inventi, nec non thesauri, quatenus hos inventori pro praemio inventionis jus aut mores adsignant. *Wesel* de connub. soc. II. c. 2. n° 115-125. *Matthaeus* par. 3. n. 9."

Quaestio possit esse, num in adprehensione thesauri vel gemmae opera contineatur nec ne; Voetius cum iis quos citat, videntur in hac adprehensione operam cernere, cum Tryphoninus in re tam levi operas non invenit. Similis est quaestio in l. 19 D. *de acq. rer. dom.* proposita „sed hereditatem legatumve non acquiri mihi per eum (i. e. liberum hominem mihi b. f. servientem), quia neque ex re mea, neque ex operis suis id sit, nec ulla ejus opera sit in legato; *in hereditate aliquatenus, quia per ipsum adiretur; quod et Varium et Lucillum aliquando dubitasse.*" Quod hereditas non est in

communione mihi nullum argumentum praebet propter saisinam, quae dicitur, nam hereditas ipso jure acquiritur, et aliquatenus ejus opera sit in repudiando. Sed cum donatio, ex qua ut dominus fiat requiritur adprehensio, si est rei mobilis, non incidit in communionem, patet *adprehensionem* per se spectatam, *operis* non accenseri ab nostro legislatore.

Aliud sane est in lotteria, nam in illa contractum facit, emit nomen, lucrum data opera acquiritur; igitur *fructus industriae* recte haberi potest.



Apud Vir cons. Diephuis (2 vol. § 676 nota 2) proponitur casus quod ususfructus hereditatis Titio, hereditas ipsa ejus liberis relinquebatur, sed si Titius orbis decesserit, hereditas Sejo relicta erat. Titius moritur relicto filio post mortem testatoris nato. Diephuis dicit contra auctores Responsorum *Verzameling*


van *Regtsgeleerde Adviezen* 1844 p. 64-66, hic esse fideicommissum prohibitum: *Trouwens, waarmede men over het vruchtgebruik beschikt, daar moet toch ook eigendom aan iemand toegewezen zijn; want waar een vruchtgebruiker is, daar moet zeer zeker ook een eigenaar zijn.*

Id sine dubio verum est, sed quisnam ille dominus sit, pendet a conditione, nempe: an usufructuarius orbus decesserit necne; in casu quod usufructuarius orbus decesserit, patet Sejum heredem fuisse inde a tempore mortis testatoris; si autem usufructuarius tempore mortis liberos reliquit, qui jam nati vel concepti erant tempore mortis testatoris, patet eos ab initio heredes fuisse et non debebant Sejo restituere; igitur nullo modo hic dici potest fideicommissum prohibitum adfuisse, nam minime dicitur liberos usufructuarii statim, mortuo testatore, exstantes heredes esse pure institutos, et iis mortuis ante patrem usufructuarium hereditatem transferri ad Sejum, cui tunc est fideicommissum

relictum, nam talis opinio testatoris nequit esse; nam quis tunc propriarius honorum hereditatis esset intra tempus inde a morte filii fructuarii, usque ad ejus mortem? igitur voluntas testatoris nulla alia fuit, quam ut mortuo fructuario demum pateat, quisnam testatoris heres fuerit.

Nec prohibitum fideicommissum in eo cerni potest, quod usumfructum Sejo dederit, dum adhuc incertum est, ad quem pertineat hereditas; nam licet de hereditate nondum constat, ad quem pertineat, tamen jam jura usufructuarii incipere possunt; et quod testator voluit Titium fructuarium, et non heredem esse, satis aperte in suo testamento indicavit; de reservatione mentali igitur sermo esse nequit, ex qua contra apertam testatoris voluntatem interpretemur, art. 932 et art. 934 contrarium jubent; si igitur de fideicommisso aperte non constat, id per interpretationem introducendum non est. Altera quaestio num Sejus heres fiat, si Titius non orbis moritur, sed relicto filio post mortem testatoris nato,

an tunc heredibus ab intestato deferenda sit hereditas, sine dubio Sejo hereditas tribuenda est, cum pateat eum unice postponi Titii filiis, qui testatoris heredes exstant, non autem per liberos Titii posthumi, qui heredes testatoris non sunt, excludi.



Ad Art. 1246 Codicis Civilis.

An verba art. 1246. C. C. *na aftrek van zijn aandeel* intelligenda sunt de eo casu, si contra tertium possessorem agit, qui creditori hypothecario solverat, non autem quamdiu hypotheca est penes debitorem?

Vir cons. Diephuis (et quos laudat) dicunt: art. 1246. C. C. est generalis, et ubi lex non distinguit, nobis distinguere non licet; si igitur penes debitorem est fundus hypothecae adstrictus, posterior creditor pignoratitius petere potest, ut ex hac hypotheca ven-

dita tertio possessori subrogato non tantum debitum solvatur, sed pars tantum, ita ut sibi aliquid superfluum praestaretur.

Mihi autem contrarium videtur statuendum esse propter art. 1244, nam ex illo detentor hypothecae sese venditioni opponere potest, si demonstrat alios fundos aequè idoneos pro eodem debito hypothecae obnoxios, adhuc in bonis debitoris esse; quo casu creditor cogitur primo hos fundos evincere; si pretium ex illo fundo redactum sufficiens erat ad hypothecam solvendam, certe etiam fundus, quem tertius possidet, liberatus esset; nunc autem nulla ratio cogitari potest, quare ille tertius minore jure fruatur, si per solutionem jura creditoris nactus est, quam si omnino non solverit et sese simpliciter venditioni opposuerit. Solvendo ipse creditor est factus, et dicendum est: tot personae sunt quot qualitates; tanquam tertius possessor sese opponit venditioni fundi, et jubet creditorem primo evincere hypothecas a debitore retentas. Illa verba *na astrek*

van zijn aandeel autem bene se habent, si tertii possident fundos hypothecae adstrictos, nam alioquin ambages locum haberent; nam illi, contra quos tanquam creditor subrogatus actionem Servianam instituisset, iterum contra eum agere possunt, iterum subrogati, et tunc res ad finem perducere non posset. Quod dicunt (vid. cons. Schuller): si hoc admitteretur, subrogatum meliorem jure frui quam creditorem principalem, minime defendi potest; nam creditor principalis pro suo debito e. g. tria praedia obstricta habebat, dum subrogatus tantum duo invenit, in quae jus suum exercere potest; nec quod dicit hypothecam tunc *gravius* premere praedia pro illo debito obligata, nam arbitrio creditoris relictum erat, praedium quod velit evincere; jura creditorum posteriorum igitur minime eo minuta sunt, quod tertius possessor plene jus creditoris hypothecarii exercet. Praeterea ex art. 1244, ut tertius possessor creditorem repellere possit, requiritur, ut fundus qui apud debitorem mansit, aequè idoneus sit, nunc

autem est summa iniquitas, quia ille fundus minoris aestimationis erat, eum nequidem ad hanc aestimationem prodesse tertio, cum si sufficiens fuisset plene liberatus fuisset assignando hunc fundum creditori. Ratio ob quam in art. 1244 creditorem ad fundos minoris pretii appellere nequit, posita est in regula: quod creditor non cogitur per partes solutionem accipere, si autem creditor civiliter rem tractat primo instituit actionem contra ipsum debitorem et evincit hypothecam minoris pretii, quod hic habetur fecisse. Cessio actionum vi legis fit, quia praesumuntur contrahentes tacite pacto eam cessionem fecisse; si autem creditor nominatim id fecerit, tertius plenum creditoris jus exercet; ita etiam nunc, cum lex hanc cessionem factam esse existimat, idem plenum jus habere debet.

*Ad Art. 1186 Cod. Civ. conjunctum cum
art. 1618. C. C.*

In art. 1186 C. C. locatori in invecta et illata subconductoris privilegium datur, pro rata partis quam conduxerat a primo locatore; si igitur dimidiam domum conduxerat pro tertia parte mercedis, tamen ejus invecta et illata tenerentur pro dimidia parte mercedis a primo conductore debitae. Hoc autem ita non esse oportere ipse legislator videtur sensit, cum statuatur subconductoris invecta et illata non teneri domino, si justo tempore solvisset mercedem suo locatori; igitur si tertiam partem solverat, ejus invecta non tenentur propter sextantem (quam adhuc deberet si ratio habenda esset partis conductae), quod omnino fieret si nondum mercedem solvisset, quo casu teneretur propter tres sextantes. Ita etiam in art. 1618 actio in personam domino datur contra subconductorem pro ratione pensionis quam sublocatori debet, et non ratione partis conductae; contra rationem autem est

ejus invecata et illata pro majore vel minore summa teneri, quam ipsius obligatio est. „Plane in eam „duntaxat summam invecata mea et illata tenebuntur, „in quam coenaculum conduxim, non enim credibile „est, hoc convenisse ut ad universam pensionem „insulae frivola mea tenebuntur;” ex his Ulpiani (1) verbis descendit jus domini in invecata et illata sub — conductoris; ex iis in jus francicum et nostrum receptum est, nusquam autem patet legislatorem aliud quid statuere voluisse, licet verba contrarium indicent.

Si spectamus art. 1618 conjunctum cum nostro, planum fit dominum jura sublocatoris exercere, et quod ad actionem in personam, et quod ad privilegium quod sublocator habet in invecata et illata subconductoris; nulla autem ratio est, quare domino invecata et illata subconductoris in majorem summam teneantur quam ipsi sublocatori, et quare liberetur solutione huic facta, de residua quantitate ratione

(1) L. 11 § 3 D. de pign. act.

totius mercedis secundum partem conductam. Ob
 quas rationes existimo bene Diephuis V 749 dare
 paraphrasin, loco „in evenredigheid van het door
 den tweeden huurder overgenomen gedeelte of
 liever van den huurprijs van dat gedeelte,” nempe
 si spectat pensionem sublocatori solvendam.

Ejus qui gratuitam habitationem habet, invecta et
 illata non tenentur domino. Patet ex art. 1186
 C. C. subconductorem liberari, si justo tempore sol-
 verat conductori; si autem gratuitam habitationem
 habet totius temporis, pensionem statim solvisse exi-
 stimandus est; igitur ejus invecta et illata teneri
 nequeunt.

Ex eodem art. 1186 conjuncto cum art. 1618 C. C.
 patet proprie primum locatorem jus secundi locatoris
 exercere, quod jus sibi obligatum est; nam si sublo-
 catori nihil debet, dominus agere nequit; si autem
 gratuitam habitationem concesserat sublocator, nul-
 lum jus habet sublocator quod dominus exercere
 possit.

In art. 1186 unice sermo est de eo, qui conduxerat a conductore, igitur non de quolibet inhabitante et privilegia non sunt extendenda, l. 5 D. *in quibus causis pignus* (20.2) Marcianus dicit: „Pomponius (libro 13 variarum lectionum) scribit: Si gratuitam habitationem conductor mihi praestiterit, invecta a me domino insulae pignori non esse;” nusquam autem patet huic legi derogatum fuisse; ejus praeceptum igitur mihi servandum videtur, contra sententiam quam defendit Diephuis V. 750.



An in art. 118 C. M. legislator aliam viam ingressus est quam in art. 107 et 108?

Trassans existimatur provisionem idoneam habere apud trassatum, si ille tempore, quo foro cesserit, licet ante diem solutionis, eandem pecuniae quantitatem

debet trassanti; quo casu si praesentans neglexerit protestationem justo tempore facere, liberatur trassans, modo cedat actiones, quas habet, praesentanti. Ex art. 118 contra, illa liberatio acceptanti demum prodest, si *adsignatus in domicilio* foro cesserit *post* diem solutionis faciendae; ex quo sequitur, si foro cesserit *ante* illam diem, si tunc praesentans neglexerit protestationem facere, acceptantem se liberare non posse cedendo actiones. Deinde trassans liberatur licet trassatus foro non cesserit, modo praesentans neglexerit justo tempore protestari, contra vero acceptans eo casu non liberatur; illi unice conceditur cessio actionis si *adsignatus in domicilio* foro cedit; si ille non foro cedit sed praesentans neglexerit protestationem facere, acceptans se liberare nequit cedendo actiones in *domiciliatum*. Paritas causae etiam postulat eandem legis dispositionem, nulla autem ratio cogitari potest quare trassans meliore jure utatur quam acceptans. Si art. 118 conceptus fuisset: „*Indien de gedomi-*

ciliërde niet voldoet, en de houder verzuimd heeft etc. nullum foret dubium, sed nunc quaestio est, an duo requisita, a) quod foro cesserit et b) quod foro cesserit *post* diem solutionis, possimus habere pro non scriptis. Ratio id jubet; nam licet in eadem urbe possit domicilium adjectum esse, tamen frequentius ex rei natura id adjicitur, si extra domicilium trassati facienda est solutio, quo casu nihil acceptans a vero trassante differt. Et licet in eadem urbe solutio facienda est in domicilio adjecto, tamen acceptanti nequit tanquam negligentia imputari, quod curaverat *ante* diem in domicilio pecuniam adesse ut solutio fieri possit; et quid si pridie vel ad diem solutionis foro cesserit, tunc certe acceptanti nihil imputari potest et tamen, si illa duo requisita non negligimus, totum denuo solvere tenetur, licet protestatio sit omissa.

Ad art. 321 § ult. C. M.

Art. 321 § ult. C. M. intelligendus est, de damno ante derelictionem facta.

1) Adsecuratio non valet, nisi adsecurati intersit, art. 268 C. M.; exercitorum autem, qui navem dereliquerunt creditoribus, nihil interest, quid navi post derelictionem accidat, an salva maneat vel penitus pereat, cum jam liberati sint per derelictionem, licet nihil ex nave ad creditores perveniat; igitur post derelictionem damnum quod acciderit iis nullum jus praebet.

2) Id patet ex regula generali, quae in art. 263 C. M. continetur quod in qualibet dominii translatione etiam transferatur adsecuratio, ex qua novus dominus inde a tempore quo res suo periculo est, utilitatem habet; nulla autem ratio exstat, quare hic fingamus contradictionem inter art. 321 § 5 C. M. et art. 263 C. M., nec exceptio in illo art. continetur; unice legislator vult monere regulam

„pretium succedit in locum rei” hic locum non habere, ne quis existimet nave derelicta etiam pecuniam ab adsecuratore tempore derelictionis jam praestitam creditoribus derelictam esse.

3) Quod in illo articulo dicitur *hunne aanspraak op den verzekeraar is onder dezen afstand niet begrepen*, hoc significat petitionem non cedi quam jam *habent*; nam de damnis futuris iis nulla actio competit; tunc non habent aliquid exigendi facultatem (*aanspraak*), quae proinde etiam a derelictione excludi nequit.

1848
The first of the year
was a very dry one
and the crops were
very poor. The
winter was also
very dry and the
crops were very
poor. The spring
was also very dry
and the crops were
very poor. The
summer was also
very dry and the
crops were very
poor. The autumn
was also very dry
and the crops were
very poor. The
winter was also
very dry and the
crops were very
poor. The spring
was also very dry
and the crops were
very poor. The
summer was also
very dry and the
crops were very
poor. The autumn
was also very dry
and the crops were
very poor. The
winter was also
very dry and the
crops were very
poor.

The first of the year
was a very dry one
and the crops were
very poor. The
winter was also
very dry and the
crops were very
poor. The spring
was also very dry
and the crops were
very poor. The
summer was also
very dry and the
crops were very
poor. The autumn
was also very dry
and the crops were
very poor. The
winter was also
very dry and the
crops were very
poor. The spring
was also very dry
and the crops were
very poor. The
summer was also
very dry and the
crops were very
poor. The autumn
was also very dry
and the crops were
very poor. The
winter was also
very dry and the
crops were very
poor.

THESES.

I.

Nulla antinomia inter legem 34 Dig. *de pign. act.* et legem 45 Dig. *de solut.*

II.

Filius familias minor, qui pecuniam mutua jussu patris accepit, in integrum restitui potest.

III.

Prodigus sine consensu curatoris divortium petere potest.

IV.

Locator privilegium habet ex art. 1189 C. C. etiam ratione pensionum, quarum dies nondum venerit.

V.

Si quis in instrumento privato domum suam obligaverit pro eo quod in diem debetur, et postea hanc domum alteri hypothecae dedit, illa pecunia ante diem exigi nequit.

—
VI.

Minus probandum quod in art. 601 C. M. creditor foeneris nautici, concurrat cum adsecutore.

VII.

Tempore *Baldi* juris cambialis tantum initia inveniuntur.

VIII.

In casu art. 733 al. 2 Cod. Merc., actio de jactu etiam competit mercium domino, cujus consensu merces in foris navis sunt positae.

IX.

In art. 274 C. P. exigitur mendicium in flagranti deprehensum esse.

X.

Qui testimonium juramento firmare nequeunt, propter falsum testimonium puniendi non sunt.

XI.

Poena mortis civilis sublata, ad eam damnati reviviscunt.